

C. IVLI CAESARIS

- egressum sed uti se a contumeliis inimicorum defenderet, ut tribunos plebis in ea re ex civitate expulsos in suam dignitatem restitueret, ut se et populum Romanum factione
6 paucorum oppressum in libertatem vindicaret. Cuius oratione confirmatus Lentulus ut in oppidum reverti liceat 5
petit: quod de sua salute impetraverit fore etiam reliquis ad suam spem solacio; adeo esse perterritos non nullos ut suae vitae durius consulere cogantur. Facta potestate discedit.
- 23 Caesar, ubi luxit, omnis senatores senatorumque liberos, 10
tribunos militum equitesque Romanos ad se produci iubet.
2 Erant quinque senatorii ordinis, L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Caecilius Rufus, Sex. Quintilius Varus quaestor, L. Rubrius; praeterea filius Domiti aliique complures
adulescentes et magnus numerus equitum Romanorum et 15
3 decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat. Hos
omnis productos a contumeliis militum conviciisque prohibet;
pauca apud eos loquitur, quod sibi a parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis;
4 dimittit omnis incolumis. HS LX, quod advexerat Domi- 20
tius atque in publico deposuerat, allatum ad se ab IIIIViris Corfiniensibus Domitio reddit, ne continentior in vita hominum quam in pecunia fuisse videatur, etsi eam pecuniam publicam esse constabat datamque a Pompeio in stipen-
5 dium. Milites Domitianos sacramentum apud se dicere 25
iubet atque eo die castra movet iustumque iter conficit
VII omnino dies ad Corfinium commoratus, et per finis Marrucinatorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam per-
venit.
- 24 Pompeius his rebus cognitis quae erant ad Corfinium 30
gestae Luceria proficiscitur Canusium atque inde Brundi-